

pro facultatibus fortunisque , & sæpe supra vires assurgunt.

Lugubris Sinarum vestis non pulla, sed candida est. In luctu parentum filii cannabina veste asperissima induuntur, primis saltem mē-sibus; & ipsa forma talaris tunicæ, pilei, calceorum satis absona, primoque aspectu miserabilis: fune quoque prope nautico renes cingunt, ad eum modum, quo Patres è D. Francisci familia solent. Inviolabili consuetudine receptum est, ut luctus patris aut matris in triennium protrahatur. Cujus rei causam in suis libris reddunt hanc, ut suis parentibus, qui primo ætatis triennio eos ulnis gestaverunt, tantoque labore educarunt, vicem rependant. In cæterorum propinquorum luctu contractior est lugendi mora, prout quisque vicinior, aut remotior sanguine cuique fuerit: alias enim annuo spatio, alios trimestri terminatur.